

culos volubiles, qui malum circulo ambiunt, & funiculo cum appenso plumbo altitudinem mali demetiatur, reperietque pedes 92. Disposito tunc Instrumento, juxta doctrinam capituli præcedentis volvat Dioptram G. ad puncta 92. (tot siquidem pedes malus altus est.) Dioptram verò H. volvat tantisper, dum per ambas Dioptras secundum directum Turris plantam conspiciat, reperietque ad Dioptram H. puncta 87. Tanta igitur distantia est à calce mali usque ad plantam Turris, pedum nimirum 87.

Si cupiat præterea cognoscere etiam altitudinem Turris, quantumque Instrumentum distet à Turris planta, sic operetur: Volvat Regulam AE versus plantam Turris, hac firmatâ volvat Dioptram G ad puncta 120. inter litteras AE. (tot siquidem pedibus Instrumentum distat à Turris plantâ) appendat deinde perpendiculum Dioptræ H. & volvat illud tantisper, dum secundum directum se mutuo contingant. Si tunc Regulam foramineam positam in Dioptrâ G. direxerit versus Dioptram H. reperiet in Regula hac puncta 50. quæ altitudo est Turris quæ sita, nempe pedum 50.

Quæ denique & ab Instrumento distantia sit ad Turris altitudinem, cognoscet, Si animaduerterit, quis numerus vel quæ puncta sint in Regula F. ad Dioptram H. Reperiet autem puncta 90. Et hæc distantia erit ab Instrumento ipsius usque ad altitudinem Turris, nempe 90.

CAPVT